

LI. Item LEO I. ad Nicetam Aquileionem Episcopum, Epist. 77. al. 79. c. 7. [an. 458. Romam in Venetiam.]

Per manus impositionem confirmantur, qui ab Hæreticis Baptisma accipiunt.

HI, qui Baptisma ab Hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt; quia formam tantum Baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam, ut scitis, servandam omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo, unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Cujus ablucio nulla iteratione temeranda est: sed, ut diximus, sola sanctificatio Sancti Spiritus invocanda est, ut quod ab Hæreticis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus consequatur.

SED notandum est, quod Hæretici, ut Ariani, & Sabelliani, quorum alii inæqualitatem, alii indistinctionem personarum confitebantur, Baptisma non in forma Ecclesiæ, sed suæ pervertitæ ministrabant. §. 1. De his specialiter Ambrosius locutus est dicens [non sanatur Baptismus perferendum, &c.] fed etiam, ut rebaptizentur, & reordinentur, statutum est

LII. IN CONCILIO NICENO, c. 19. [an. 325. in Bithynia.]

Rebaptizentur, & ordinentur, qui de Paulianistis, & Cataphrygis ad Ecclesiam redeunt.

SI quis confugerit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis, & Cataphrygis, statutum est rebaptizari eos omnino debere. Si qui vero Clerici erant apud eos, si quidem inculpatis fuerint, & irreprehensibiles, rebaptizandi sunt, sed rursus etiam ab Episcopo Ecclesiæ Catholice ordinantur. Si vero examinati, minus fuerint apti deprehensi, deponi eos oportet. Similiter autem & circa Diaconos, & de omnibus, qui in eodem Clero inveniuntur, eadem forma servabitur.

CORR. ROM. ad Cataphrygas. Legitur hæc dicitio in præfata versione, quæ est in variis exemplaribus collectionis Iridori impressis, ac manuscriptis: sed non est in Canone Græco, neque in versione Dionysii, aut aliis recentioribus. Quod autem & isti baptizandi sint, traditum est in Concilio Laodiceno, c. 8. in Synodo septima, seu secunda Nicæna, c. 7. & infra de consecr. dist. 4. c. bi vero, quod est Gregorii. [Diaconos.] Græcè est, πρεσβυτερος, & αδιακονητος, id est, de Diaconis, id est, de Diacanis, & de his omnino, qui in Canone communitantur.

LIII. Item INNOCENTIUS I. ad Episcopos Macedoniæ, Epist. 22. c. 5. [an. 414. Romam in Macedoniam.]

De eodem.

Paulianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minime baptizabant; & Novatiani iidem tremendis, venerandisque nominibus baptizant; nec apud istos de unitate potestatis Divinæ, hoc est, Patris, Filii, & Spiritus Sancti quæstio aliquando mota est.

PITH. Baptizabant. Baptizant, nec apud istos, cetera defunt in uno V. C.

ALII formam Ecclesiæ in baptizando servant. Sed, dum ab eis baptizantur, qui in hæresi, vel schismate eis communicant, Sacramentum quidem Baptismi ab eis accipiunt, virtutem vero non consequuntur, quam sine fide nullus consequi potest. Unde de Domino dicitur, quod in patria sua non poterat facere signum propter incredulitatem eorum. Unde

LIV. AUGUSTINUS Tract. 80. ad c. 15. Joannis, & Sermone de Cataclysmo, c. 3. initio. [c. an. 412. & an. 429. in Africa.]

Dum verbum accedit ad elementum, fit Sacramentum.

DEtrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. §. 1. Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat; nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.

DE his etiam, qui in hæresi, vel schismate baptizantur, scribit dicens

LIV. AUGUSTINUS libro de Fide ad Petrum Diaconum, c. 36. [Fortè c. an. 510.]

Extra Ecclesiam baptizati perniciem sibi cumulant, si ad Ecclesiam non redierint.

IRMISIME tene, & nullatenus dubites extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, Baptismo cumulari perniciem. Tantum enim valet Ecclesiæ societas communio ad salutem, ut Baptismo non salvetur, cui non ibi datur, ubi oportet, ut detur.

LVI. IDEM Tract. 13. ad c. 3. Joannis. [c. an. 412. in Africa.]

Infrima sunt dona, quæ præter unitatem Ecclesiæ habentur.

Teneamus, Fratres mei, unitatem. Præter unitatem, & qui facit miracula, nihil est. In unitate enim erat populus Israel, & non faciebat miracula: præter unitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant familia Moysi. Populus Israel, ut dixi, non faciebat miracula. Qui erant falvi apud Deum, qui faciebant, an qui non faciebant? Petrus Apostolus refuscitavit mortuum. Simon Magus fecit multa. Erant ibi multi Christiani, qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon. Sed uno gaudebant? quia nomina eorum erant scripta in cælo.

LVII. Item LEO I. ad Nicetam Episcopum, Epist. 77. al. 79. c. 7. [an. 458. Romam in Venetiam.]

Baptisma semel traditum non est reiterandum.

Hanc regulam, ut scitis, servandam omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Cujus ablucio nulla iteratione temeranda est: sed, ut diximus, sola sanctificatio Sancti Spiritus invocanda est, ut quod ab Hæreticis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus consequatur.

NEMO in Hæresi, vel Schismate constitutus intelligendus est. Ceterum si cum fidei integritate, & animi puritate de manu Hæreticorum in forma Ecclesiæ aliquis Baptisma acceperit; tunc impletur illud Augustini [per lapideum canale aqua transit ad arcolas] & iterum [spiritualis virtus Sacramenti, &c.]

LVIII. IDEM AUGUSTINUS Sermone XI. de Verbis Domini, de Baphemia in Spiritum Sanctum. [fortè c. an. 410. in Africa.]

Etiam per malos boni colligantur.

SPIRITUS Sanctus in sancta Ecclesia, etiam isto tempore quo velut granum cum palea trituratur, sic operatur, ut nullius veram confessionem aperneret, nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, ut etiam per eorum ministerium probos colligat.

ECCE quando ab Hæreticis Baptisma cum sua virtute accipitur: cuius tam necessaria administratio est, ut nec etiam à Pagani datum possit reiterari. Unde in Ecclesiastica Historia legitur, quod Alexander Episcopus Alexandria, cum Petri Martyris solennia celebraret, post expleta Missarum Sacramenta vidit super oram maris puerorum ludum imitantium, ut fieri solet, Episcopum, & gentium ea, que in Ecclesia geri mos est. Mox eos ad se perducit jubet; & quid egissent, percunctatur. Illi tibi ordinem pandunt: baptizatos à se esse quosdam Cætherumenos confitentur per Athanasium puerum, qui illis fuerat Episcopus simulatus. Ubi ex responsis eorum vidit secundum religionis nostræ ritum cuncta constare; statuit, illis quibus, integris interrogationibus, & responsionibus, aqua fuerat infusa, iterari Baptisma non debere, fed adimpleri ea, quæ Sacerdotibus mos est. Hinc etiam ait

LIX. ISIDORUS. [fortè c. an. 630.]

De his, qui per ignorantiam ordinantur, antequam baptizentur.

SI quis per ignorantiam ordinatur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari, & ipse ulterius non ordinetur. Sed Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet Paganus sit qui baptizat.

CORR. ROM. Caput hoc Burchardus & Ivo citant ex dictis Isidori: ex qua citandi formula solet indicari non Pann. l. i. esse propria Autoris verba. Videtur autem in priorè parte c. 97. vel proponi quæstio, vel falsa alicuius opinio recitari, cui deinde in posteriore parte opponatur vera, Sed Romanus, dist. 5. in c. 97. que infra etiam de consecr. dist. 4. cap. Romanus. princ. citatur ex Isidoro. Idque clarius lib. 5. Capitularium, c. 4. exponitur his verbis: Si quis baptizatus est à Presbytero non baptizato, & Sancta Trinitas in ipso Baptismo invocata fuit, baptizatus est, sicut Sergius Papa dixit, impositione vero manus indiget. Gregorius Episcopus Romanus, & Joannes Sacellarius sic senserunt.

LX. EX CONCILIO apud Compendium. [an. 756. in Gallia.]

PALÆA.

SI Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum. CORR. ROM. Hæc Palæa & locis indicatis, & in Collectione, quæ est in tomo tertio Conciliorum post Decretum Alexandri III. cap. 1. de Presbytero non baptizato, citatur ex Concilio apud Compendium. Iterum. Sequatur, & omnes, quos prius baptizavit: quæ sunt expuncta, quia non habentur in d. c. 1. de Presbytero non baptizato, neque in cap. veniens. eod. tit. Pann. l. 1. ubi refertur, licet habeantur in aliis locis indicatis.

GRATIAN. QUOD autem cetera Sacramenta ab Hæreticis ministrari non possint, testatur

LXI. HIERONYMUS in Aggeum Prophetam, c. 2. [c. an. 387. in Palestina.]

Non placent Deo quæ ab hæreticis offeruntur.

SIc f. populus iste Hæreticorum omnium est in conspectu meo, dicit Dominus, omne quod fecerint, quod mihi obulerint, vel vota, vel pro salute, vel pacifica, vel pro peccato, vel pro delicto, vel in holocaustum, si ve eleemosynas, si ve jejunia, si ve victus continentiam, & corporis castitatem, contaminata erunt in conspectu meo. Quamvis enim sancta videantur specie sui, quæ offeruntur à talibus; tamen, quia tacta sunt ab eo, qui pollutus in anima est, omnia pollutantur. CORR. ROM. Sic populus. In originali legitur, sic populus iste, & sic gens ista, Judæorum videlicet, atque gentium, & Hæreticorum omnium, &c. Nota. Ibidem habetur, vel vota pro salute, sed ob Glossam non est mutatum.

LXII. IDEM in Amos Prophetam, c. 5. [an. 408. ibid.]

De eodem.

ODI Deus sacrificia Hæreticorum, & à se projicit, & quotiescumque sub nomine Domini fuerint congregati, detestatur fetorem eorum, & claudit nares suas.

LXIII. IDEM in Osee c. 6. [an. 408. ibid.]

De eodem.

ILLI offerunt panem facilem, & dant eleemosynas, & sectari videntur humilitatem. Que ego, si verè fiant, holocausta interpretor. Cum autem scientiam Dei reliquerint; frustra truncato capite fidei, cetera membra habere se jactant.

LXIV. IDEM in Epistola ad Gal. c. 1. [an. 386. ibid.]

Sine fide, & charitate nec Evangelium habetur, nec profans aliqua bona.

MARCION, & Basilides, & ceteræ Hæreticorum pestes non habent Dei Evangelium; quia non habent Spiritum Sanctum, sine quo humanum sit Evangelium, quod docetur. Nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice ratis.

LXV. IDEM ad c. 5. ejusdem Epist. [an. 386. ibid.]

De eodem.

VIDE quantum bonum sit Charitatis. Si ita Martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias honorari; si opinionem vulgi sectantes, intrepidi, sanguinem fuderimus; & substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus; huic operi non tam præmium, quam poena debetur, & perditionis magis tormenta sunt, quam corona victoria.

LXVI. Item EX CONCILIO LAODICENSI, c. 32. [an. 320. in Phrygia Pacatiana.]

Hæreticorum benedictio, maledictio est.

NON oportet Hæreticorum benedictiones accipere: quoniam magis sunt maledictiones, quam benedictiones. PITH. Magis sunt maledictiones. V. C. ista maledictiones sunt magis, &c.

LXVII. Item EX CONCILIO Martini Papæ I. c. 70. [an. 572. in Hispania.]

Neque cum Hæreticis, neque cum Schismaticis licet orare.

NON liceat Clericis; vel Laicis ab Hæreticis eulogias accipere; quia maledictiones sunt magis, quam benedictiones: neque liceat aut cum Hæreticis, aut cum Schismaticis orare.

LXVIII. Item LEO I. ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, Epist. 48. cap. 2. [an. 451. Romam Constantinopolim.]

Extra Ecclesiam non sunt vera sacrificia.

IN Ecclesia Dei, que corpus Christi est, aliter nec rata sunt Sacerdotia, nec vera Sacrificia; nisi in nostræ proprietate nature versus nos Pontifex reconciliet, & versus immaculati Agni sanguis emundet.

LXIX. IDEM Leoni Augusto, Epist. 73. [an. 457. Romam Constantinopolim.]

Impiorum manibus divina Sacramenta se subducunt.

MANIFESTUM est, non per crudelitissimam, infamissimamque fecitiam, in Alexandrina sede omne cælestium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificii oblatio: defecit Christifans sanctificatio: & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxerunt mysteria.

LXX. Item B. MARTYR CYPRIANUS in Epistola contra Hæreticos. [c. an. 257. in Africa.]

Sacramenta extra Ecclesiam ministrari possunt, salutem vero conferre non possunt.

SI quis, inquit, de Ecclesia, Hæretica præsumptione exierit, à semetipso damnatus est. Cum hujusmodi, secundum Apostolum, nec cibum quidem fumere debemus. Declaratur hoc in libro Regnorum, ubi cum homo Dei ad Jeroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret, atque ultionem futuram prædiceret; panem quoque apud illum edere, & aquam bibere vetaretur. Quod cum non custodisset; divina sententiâ inde rediens, morsu leonis in itinere interit. §. 1. Et audeat quilibet dicere aquam Baptismi salutarem, & gratiam cælestem communem cum Hæreticis esse posse, cum quibus nec terrestris cibus, nec secularis potus debet esse communis? Constat autem oleum, unde baptizati unguuntur, sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse, ubi ipse nulla est; & fides falsa, ubi omnia per mendacium geruntur. Nam Hæreticus a sumitur more, quæ cum homines non sint, humana tamen imitantur; vult Ecclesiæ Catholicæ autoritatem sibi, & veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit. Benedictus à Deo maledictus, vitam pollicetur mortuus: Deum invocat blasphemus, Sacerdotium administrat profanus, ponit altare sacrilegus. Ad hæc omnia accedit & illud malum, ut Antistes Diaboli audeat Eucharistiam facere, quando nec sanctificari oblatio illic possit, ubi Spiritus Sanctus non sit, nec cuiquam Dominus per ejus orationes, & preces proficit, qui Dominum ipse violavit. Si enim qui Ecclesiam contemnit, & Ethnicus, & Publicanus habentur, multo magis utique rebelles, & hostes, falsa altaria, & illicita Sacerdotia, & Sacrificia sacrilega, & nomina adulterata fingentes, inter Ethnicos, & Publicanos necesse est computentur: quos omnes cõstat à charitate atque ab unitate Ecclesiæ recessisse. Ergo omnia quecumque faciunt Hæretici, carnalia sunt, & inania, & falsa, ita ut nihil eorum, que illi gesserint, à nobis probari debeat. Non statim suscipienda sunt, & affumenda, que jactantur in Christi nomine; sed que geruntur in Christi veritate. Quomodo enim perficere que agunt, aut imperare aliquid illicitis conatibus de Deo possunt; qui contra Deum, quod eis non licet, moluntur?

§. 2. Quare, qui Hæreticus, & Schismaticus patrocinantur, censurâ a divina in eorum probantur facinore, & penis non solum duces, & autores, sed etiam participes destinari, nisi se à communione Malorum separaverint, præcipiente per Moysen Domino, ac dicente: Separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere ab omnibus, que sunt eis, ne simul peccatis in peccato eorum. Et quod comminatus per Moysen Dominus fuerat, implevit, ut quisque se à Chore, & Dathan, & Abiron non separasset, penas statim pro impii communione perolveret: sicut etiam per Osee Prophetam Spiritus Sanctus testatur, & dicit: Sacrificia eorum tanquam panis luctus: omnes, qui manducant ea, contaminabuntur: docens scilicet, & ostendens omnes omnino cum autoribus supplicio conjungi, qui fuerint eorum peccato contaminati.

CORR. ROM. Caput hoc collectum est ex variis locis Epistolæ Beati Cypriani, & Concilii ab ipso habiti, interdum immutatis, & in summam redactis, quæ in margine sunt indicata.

Censurâ. In Epistola sic habetur: Frustrâ contendunt baptizari, & sanctificari illic aliquem salutari Baptismo posse, ubi constat baptizantem baptizandi licentiam non habere. Atque ut magis intelligi posset, contra ejusmodi audaciam, que sit censura Divina, invenimus in tali facinore non solum duces & autores, sed & participes penis destinari, &c.

LXXI. Item AUGUSTINUS Lib. Sententiarum [per Prosperum Aquitanicum Episcopum Regien. collectarum] c. 15. [c. an. 426.]

Vera sacrificia non nisi in fide Ecclesiæ celebrantur.

Extra Catholicam Ecclesiam non est locus veri Sacrificii.

LXXII. Item GREGORIUS I. in 3. lib. Dialog. c. 31. ait de Ermigildo Rege Leovigildi filio. [an. 593. Romæ.]

De manibus Hæreticorum communio non est recipienda.

Superveniens Paschalis festivitatis die, intempeste novis silentio ad eum perfidus pater Arianum Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilege consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Episcopo venienti exprobravit, ut debeat, ejusque se perfidiam dignis increpationibus repulit.

LXXIII. Item INNOCENTIUS I. ad Alexandrum Episcopum, Epist. 18. c. 3. [c. an. 410. Romam in Syriam.]